

**Testi corso monografico di esegesi dei testi grammaticali latini a.a. 2024/2025**

**Corso di laurea: Lettere – docente: Prof. Francesco Berardi**

**INDICE**

Sezione I: la definizione di grammatica	p. 2
Sezione II: la definizione di <i>phantasia</i> ed <i>enargeia</i>	p. 3
Sezione III: <i>phantasia</i> ed <i>enargeia</i> nel commento di Servio a Virgilio	p. 5
Sezione IV: <i>phantasia</i> ed <i>enargeia</i> nel commento di Donato a Terenzio	p. 8
Sezione V: bibliografia consigliata	p. 10

## Sezione I: la definizione di grammatica

- 1) Dionisio il Trace, *Ars grammatica*, 1.1 Uhlig:

Γραμματική ἐστιν ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων. Μέρη δὲ αὐτῆς ἐστιν ἔξι· πρῶτον ἀνάγνωσις ἐντριβὴς κατὰ προσῳδίαν, δεύτερον ἐξήγησις κατὰ τοὺς ἐνυπαρχόντας ποιητικοὺς τρόπους, τρίτον γλωσσῶν τε καὶ ἴστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις, τέταρτον ἐτυμολογίας εὑρεσις, πέμπτον ἀναλογίας ἐκλογισμός, ἕκτον κρίσις ποιημάτων, ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ.

“La grammatica è l’osservazione empirica della lingua usata correntemente dai poeti e dagli scrittori. Sei sono le parti: 1) lettura esperta secondo metrica; 2) spiegazione dei tropi poetici che si incontrano nei testi; 3) spiegazione accessibile di glosse e contenuti; 4) indagine dell’etimologia; 5) presentazione dei paradigmi; 6) giudizio critico sull’opera letteraria che è di gran lunga la sezione più bella”.

- 2) Quintiliano, *Institutio oratoria*, 1.4.1-5

[1] Primus in eo qui scribendi legendique adeptus erit facultatem grammaticis est locus. Nec refert de Graeco an de Latino loquar, quamquam Graecum esse priorem placet: utrique eadem via est. [2] Haec igitur professio, cum brevissime in duas partis dividatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem, plus habet in recessu quam fronte promittit. [3] Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est et enarrationem praecedit emendata lectio et mixtum his omnibus iudicium est: quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros qui falso viderentur inscripti tamquam subditos summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. [4] Nec poetas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modo, sed verba, quae frequenter ius ab auctoribus sumunt. tum neque citra musicen grammaticē potest esse perfecta, cum ei de metris rhythmisque dicendum sit, nec si rationem siderum ignoret poetas intellegat, qui, ut alia mittam, totiens ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utuntur, nec ignara philosophiae, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima naturalium quaestionum subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclea in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, [5] qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt: eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum quas demonstravimus rerum dicat proprie et copiose. Quo minus sunt ferendi qui hanc artem ut tenuem atque iejunam cavillantur. Quae nisi oratoris futuri fundamenta fideliter iecit, quidquid superstruxeris corruet: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, et quae vel sola in omni studiorum genere plus habeat operis quam ostentationis.

## Sezione II: la definizione di *phantasia* ed *enargeia*

### 1) Quintiliano, *Institutio oratoria*, 6.2.29-33

Quas φαντασίας Graeci vocant (nos sane visiones appellemus), per quas imagines rerum absentium ita repraesentantur animo ut eas cernere oculis ac praesentes habere videamur, has quisquis bene ceperit is erit in adfectibus potentissimus. [30] [Has] Quidam dicunt εὐφαντασίωτον qui sibi res voces actus secundum verum optime finget: quod quidem nobis volentibus facile continget; nisi vero inter otia animorum et spes inanes et velut somnia quaedam vigilantium ita nos hae de quibus loquor imagines prosecuntur ut peregrinari navigare proeliari, populos adloqui, divitiarum quas non habemus usum videamur disponere, nec cogitare sed facere: hoc animi vitium ad utilitatem non transferemus. [31] [Ad] Hominem occisum queror: non omnia quae in re praesenti accidisse credibile est in oculis habebo? non percussor ille subitus erumpet? non expavescet circumventus, exclamabit vel rogabit vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo sanguis et pallor et gemitus, extremus denique exspirantis hiatus insident? [32] Insequentur ἐνάργεια, quae a Cicerone inlustratio et evidenter nominatur, quae non tam dicere videtur quam ostendere, et adfectus non aliter quam si rebus ipsis intersimus sequentur. An non ex his visionibus illa sunt: *excussi manibus radii revolutaque pensa*<sup>1</sup>, *levique patens in pectore vulnus*<sup>2</sup>, equus ille in funere Pallantis *positis insignibus*<sup>3</sup>? [33] Quid? non idem poeta penitus ultimi fati cepit imaginem, ut diceret: *et dulcis moriens reminiscitur Argos*<sup>4</sup>?

### 2) Quint. *inst.* 8, 3, 62-63 e 67-69

Magna virtus res de quibus loquimur clare atque ut cerni videantur enuntiare. Non enim satis efficit neque, ut debet, plene dominatur oratio si usque ad aures valet, atque ea sibi iudex de quibus cognoscit narrari credit, non exprimi et oculis mentis ostendi. [63] Sed quoniam pluribus modis accipi solet, non equidem in omnis eam particulias secabo, quarum ambitione a quibusdam numerus augetur, sed maxime necessarias attingam. Est igitur unum genus, quo tota rerum imago quodam modo verbis depingitur: "constitit in digitos extemplo arrectus uterque"<sup>5</sup> et cetera, quae nobis illam pugilum congregientium faciem ita ostendunt ut non clarior futura fuerit spectantibus.

### 3) *Schemata dianoeas* 1 p. 153.2-8 Schindel

ἐνάργεια est imaginatio, quae actum incorporeis oculis subicit et fit tribus modis: persona, loco, tempore. Persona, cum absentem alloquimur quasi praesentem. Vergilius: *Nec tu carminibus nostris inductus abibis, Oebale*<sup>6</sup>. Loco, cum eum qui non est in conspectu nostro tanquam videntes

<sup>1</sup> Verg. *Aen.* 9, 476.

<sup>2</sup> Verg. *Aen.* 11, 40.

<sup>3</sup> Verg. *Aen.* 11, 89.

<sup>4</sup> Verg. *Aen.* 10, 782.

<sup>5</sup> Verg. *Aen.* 5, 426.

<sup>6</sup> Verg. *Aen.* 7, 633.

demonstramus, ut: *Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles*<sup>7</sup>. Tempore, cum praeterito utimur quasi praesenti, ut: *Apparent rari nantes in gurgite vasto*<sup>8</sup>.

---

<sup>7</sup> Verg. *Aen.* 2, 29.

<sup>8</sup> Verg. *Aen.* 1, 118; Serv. Dan. *ad locum*: vel ‘rari’ de multis, ut ostendat statim alios plures periisse. Et quomodo ‘apparent’, si ‘ponto nox incubat atra’? aut quia ‘crebris micat ignibus aether’, aut quia ante ipsius oculos hoc evenit.

### III sezione: *phantasia* ed *enargeia* nel commento di Servio a Virgilio

- 1) Verg. *Georg.* 1, 100-103

Umida solstitia atque hiemes orate serenas,  
agricolae; hiberno laetissima pulvere farra,  
laetus ager. Nullo tantum se Mysia cultu  
iactat et ipsa suas mirantur Gargara messes.

Serv. *ad georg.* 1, 103: MIRANTVR GARGARA phantasia est poetica rei inanimali sensum dare: sic alibi (II 82) mirataque novas frondes et non sua poma.

- 2) Verg. *Georg.* 2, 78-82

aut rursum enodes trunci resecantur, et alte  
finditur in solidum cuneis uia, deinde feraces  
plantae immittuntur: nec longum tempus, et ingens  
exiit ad caelum ramis felicibus arbos,  
mirastque nouas frondes et non sua poma.

Serv. *ad georg.* 2, 82 MIRATAST QVE NOVAS FRONDES ET N(ON) S(VA) P(OMA)  
ingens phantasia.

- 3) Verg. *Aen.* 8, 90-93

ergo iter incepturn celerant rumore secundo:  
labitur uncta vadis abies; mirantur et undae,  
miratur nemus insuetum fulgentia longe  
scuta virum fluvio pictasque innare carinas.

Serv. *ad Aen.* 8, 91: MIRANTVR ET VNDAE: laus Troianorum per phantasiam quandam ex undarum vel nemoris admiratione venientem.

- 4) Verg. *Aen.* 4, 571-577

Tum vero Aeneas subitis exterritus umbris  
corripit e somno corpus sociosque fatigat  
praecipitis: ‘vigilate, viri, et considite transtris;  
solvite vela citi. Deus aethere missus ab alto  
festinare fugam tortosque incidere funis

ecce iterum instimulat. Sequimur te, sancte deorum,  
quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.

Serv. *ad Aen.* 4, 576: ECCE ITERVM STIMVLAT: phantasia est ad sociorum terrorem: sic in sexto ‘deus, ecce deus’ [6, 46]. [...] SANCTE DEORUM: *emphasis, quasi adhuc praesens deus urgeat navigare.*

Serv. *ad Aen.* 4, 577: QVISQVIS ES: atqui supra dixit ‘omnia Mercurio similis’... sed potest et hoc loco ut diximus quasi phantasiam facere propter socios, et ‘quisquis es’ ideo dicere, quia, licet viderit, non tamen re vera novit esse Mercurium: unde ait supra [= 4, 556] et ‘formam’ et ‘vultum’ et ‘visa monere est’.

5) Verg. *Aen.* 8, 554-557

Fama volat parvam subito vulgata per urbem  
ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis. 555  
vota metu duplicant matres, propiusque periclo  
it timor et maior Martis iam appetet imago.

Serv. Dan. *ad Aen.* 8, 556: VOTA METV DVPLICANT MATRES: bene ‘duplicant metu’, nam inest semper in matribus votum. PROPIVSQVE PERICLO IT TIMOR ‘it timor propius periclo’, id est ad periculum vicinius: aut certe ‘it timor propius periclo’ pro ‘propior’; nam matres quod timent, hoc putant liberis posse contingere. *Aut certe ‘aequatur periculo timor’, et per dativum extulit, ut propius stabulis armenta tenerent: aut poetice dixit timorem periculo comitem.*

Serv. Dan. *ad Aen.* 8, 557: IAM APPARET: adhuc illis pergentibus iam proelium cogitabatur a matribus. *Ergo ut solet, imaginem τὴν φαντασίαν, ut est [2, 369] et ‘plurima mortis imago’: hanc Sallustius speciem dicit: speciem captae urbis efficere.*

Quint. *inst.* 8, 3, 67-69

Sic et urbium captarum crescit miseratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam esse civitatem complectitur omnia quaecumque talis fortuna recipit, sed in adfectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. [68] At si aperias haec, quae verbo uno inclusa erant, apparebunt effusae per domus ac tempa flammae et ruentium tectorum fragor et ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii extremo complexu suorum cohaerentes et infantium feminarumque ploratus et male usque in illum diem servati fato senes: [69] tum illa profanorum sacrorumque direptio, efferentium praedas repetentiumque discursus, et acti ante suum quisque praedonem catenati, et conata retinere infantem suum mater, et sicubi maius lucrum est pugna inter victores. Licet enim haec omnia, ut dixi, complectatur “eversio”, minus est tamen totum dicere quam omnia.

- 6) Verg. *Aen.* 6, 806-812

et dubitamus adhuc virtutem extendere factis,  
aut metus Ausonia prohibet consistere terra?  
Quis procul ille autem ramis insignis olivae  
sacra ferens? Nosco crinis incanaque menta  
regis Romani primam qui legibus urbem                    810  
fundabit, Curibus parvis et paupere terra  
missus in imperium magnum.

Serv. *ad Aen.* 6, 808: QVIS PROCVL ILLE AVTEM: nunc redit ad Romanos reges ... mira autem utitur phantasia, ut quasi ostendat se non agnoscere eum, qui de gente Romana non fuerat.

- 7) Verg. *Aen.* 10, 267-269

at Rutulo regi ducibusque ea mira videri  
Ausoniis, donec versas ad litora puppis  
respiciunt totumque adlabi classibus aequor.

Serv. Dan. *ad Aen.* 10, 269: ADLABI CLASSIBVS AEQVOR cum classibus labi; *aut aequore classem labi. Quidam ita exponunt, ut hoc ad phantasiam Rutulorum referant, quoniam admirantibus his unde tanta fiducia animos Troianorum incessisset, repentina facies multarum navium adpropinquantium perinde visa est, atque si ipsum aequor cum classibus allaberetur.*

Cf. Hor. *epod.* 2, 17-22

vel cum decorum mitibus pomis caput  
Autumnus agris extulit,  
ut gaudet insitiva decerpens pira  
certantem et uvam purpurae,  
qua muneretur te, Priape, et te, pater  
Silvane, tutor finium.

Cf. Porphy. *ad Hor. epod.* 2, 17-18: VEL CUM DECORUM MITIBUS POMIS CAPUT AUTUMNUS AGRIS EXTULIT: poetica phantasia finxit autumnum quasi corporalem deum pomis coronatum.

Cf. Lact. Plac. *ad Stat. Theb.* 4, 447-448: (INGEMVIT DIRCE MAESTVSQVE CITHAERON / ET NOVA CLAMOSAE) STVPVERE SILENTIA VALLES Baccharum uocibus clamosae ualles destituae immolatarum pecudum mugitibus stupuere. Dicit paene phantasia omnem gregem in luco immolatum usque adeo ut fons de quo potabant armenta et mons per quem errabant ingemiscerent, cum se armentis destitutos uiderent.

#### IV: *phantasia* ed *enargeia* nel commento di Donato a Terenzio

##### 1) Ter. *Eun.* 592-594

[CH] dum haec mecum reproto, accersitur lavatum interea virgo:  
iit lavit rediit; deinde eam in lecto illae conlocarunt.  
sto exspectans siquid mi imperent.

Don. *ad Eun.* 594: STO EXSPECTANS SIQUID MI IMPERENT: ἐνάργεια. Non enim dixit “stabam”.

Cf. Ter. *Hec.* 173-175:

eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.  
reliquit cum matre hic uxorem; nam senex  
rus abdidit se, huc raro in urbem commeat.

Don. *ad Ter. hec.* 174: RELINQUIT: ἐνάργεια praesentis temporis; 296: QUAM MIHI OBTRUDIT: pro “obtrudebat”; ἐνάργεια temporis.

Verg. *Aen.* 2, 427-429:

(dis aliter visum): pereunt Hypanisque Dymasque  
confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,  
labentem pietas nec Apollinis infula texit.

Don. apud Serv. *ad Aen.* 2, 428: PEREUNT pro perierunt: enargia in temporibus; vd. anche 2, 443-444; 4, 85-88; 5, 57; 547.

##### 2) Ter. *Eun.* 971-975

SE. Ex m<eo> propinquo rure hoc capio commodi:  
neque agri neque urbis odium me umquam percipit.  
ubi satias coepit fieri commuto locum.  
sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est.  
quem praestolare, Parmeno, hic ante ostium?

Don. *ad Ter.* 973: UBI SATIAS COEPIT: suffecerant ad hanc sententiam duo superiores hii versus, sed hic ἐνάργεια est senilis eloquii, faceti et garruli simul.

3) Ter. *Ph.* 95-108

modo quandam vidi virginem hic viciniae	95
miseram s <u>ua</u> m matrem lamentari mortuam.	
ea sita erat exadvorsum neque illi benivolus	
neque notus' neque vicinus extra unam aniculam	
quisquam aderat qui adiutaret funus': miseritumst.	
virgo ipsa facie egregia." quid verbis opust?	100
commorat omnis nos. ibi continuo Antiphon	
"voltisne eamus' visere?" alias "censeo:	
eamus': duc nos sodes." imus venimus	
videmus'. virgo pulchra, et quo mage diceres,	
nil aderat adiumenti ad pulchritudinem:	105
capillus' passus, nudus' pes, ipsa horrida,	
lacrumae, vestitus' turpis: ut, ni vis boni	
in ipsa inesset forma, haec formam extinguerent.	

Don. *ad Ph.* 102: ALIUS CENSEO EAMUS DUC NOS SODES IMUS VENIMUS: haec omnia diversi dicunt, et appareat tot esse homines, quot per μίμησιν ἀσύνδετα demonstrantur dramatica relatione.

Don. *ad Ph.* 95: MODO QUANDAM VIDI VIRGINEM: vide sic agi, ut non tam morte mulieris quam solitudine pulchrae virginis moveatur affectus, simul et ea describi, quae matronae futurae magis convenient quam quae temere amanda sit. Nam hic obitus feminae ad comicum exitum spectat, quandoquidem plus ex morte eius securitatis quam molestiae sentiat argumentum.

Don. *ad Ph.* 104: IMUS, VENIMUS, VIDEMUS VIRGO PULCHRA: συντομία μετ' ἐναργείας

Tib. *fig.* 40 = *RhG* 3, 77, 27 ss. Sp.

Ἄσύνδετόν ἔστιν ὃ πολλαχοῦ χρῆται ὁ Δημοσθένης κατ' ὄνομα, καὶ κατὰ κῶλον καὶ ἐν τόπῳ. Κατ' ὄνομα· Ἀμφίπολιν, Πύδναν, Ποτίδαιαν, Άλονησον· ἐξ ὅν πλήθους ἔμφασιν γίνεται... κατὰ κῶμμα δέ, ὅταν ἐπὶ κόρρης, ὅταν κονδύλοις, ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησι. Ταῦτα δείνωσιν ἔχει καὶ ἐνάργειαν. Καὶ τοῦτο ἀσυνδέτως πολλὰ δὲ εἰπεῖν ... λαμπρότητα δὲ καὶ φαντασίαν τοῦτο τὸ σχῆμα παρέχεται ἀνευ συνδέσμων ἐλευθέρᾳ φωνῇ τοῦ λόγου προιόντος ταῖς τῶν τόπων ἐμβολαῖς. Τῷ σχήματι κέχρηται ἡ κατ' ὄνομα εἰς πλῆθος, ἡ κατὰ κῶλον εἰς κάλλος, ἡ κατὰ κῶμμα εἰς ἐνάργειαν, ἡ κατὰ τόπους εἰς λαμπρότητα.

[cf. [Long.] *subl.* 20, 1; Hermog. *id.* 270, 20-271, 1 Rabe; Schol. *ad Demosth.* 21, 72, 223]

### Bibliografia minima per approfondimenti\*

F. Berardi, *La dottrina dell'evidenza nella tradizione retorica greca e latina*, Perugia 2012

F. Berardi, *Una gara di pittura tra Virgilio e Omero nei Saturnalia di Macrobio*, Incontri di Filologia Classica 21, 2021-2022, 261-283

P. Colafrancesco, *Phantasia vs. imago nel commento di Servio a Virgilio*, Invigilata Lucernis 31, 2009, pp. 79-88

A. Manieri, *L'immagine poetica nella teoria degli antichi: Phantasia ed enargeia*, Pisa-Roma 1998

U. Schindel, *Influenze reciproche tra commento esegetico e manuale sistematico*, in M. S. Celentano (cur.), *Ars/Techne. Il manuale tecnico nella civiltà greca e romana*. Atti del convegno internazionale Università “G. D’Annunzio” Chieti-Pescara (29-30 ottobre 2001), Alessandria 2003, pp. 145-157

\* I testi qui indicati sono tutti disponibili presso la Biblioteca Universitaria “Ettore Paratore”.